



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Tertia, Qva Continentvr Hermiae Sozomeni
Salaminij lib. 9. Euagrij Scholastici Epiphanensis lib. 6

Christopherson, John

[Köln], 1569

Templi sanctæ martyris Euphemiae apud vrbem Chalcedonensem
descriptio, & æditorum in illo miraculorum commemoratio. Caput III.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12718

EVAGRII HISTORIAE

misisset, quodq; Chrysaphius in simili errore & prauitate cum Eutyche versaretur. Ait præterea Flavianū miserandum in modum à Dioscoro interfecitū per vim ab eo ecclesia extrusum, & calcibus verberatum. His de causis concilium Chalcedoni coactum est: nuntijque ac tabellarij missi: sacerdotes per literas plenas pietatis vndique acciti. Ac primo Nicæam, adeò vt cum Leo episcopus Romanus ad eos literas daret, per Pascasianum, Lucentium, & cæteros, quos eò ad suum locum supplendum miserat, eas sic inscriberet: *EPISCOPIS NICEAE CONVOCATIS* s. postea autem Chalcedonē urbem Bithyniæ, quò Nestorium etiā accersitum Zacharias rhetor affectione quadam animi inductus narrat. Verùm rem minime ita se habere argumento esse potest, quòd Nestorius cōcilio penitus per anathema interdictus fuit. Quod etiam perspicue declarat Eustathius episcopus Beryti per literas, quas tum ad Ioannem episcopum, tum ad alterum Ioannem presbyterum detulit in eo concilio agitatae dedit: sic enim scribit. Huc aduentarunt, qui Nestorij reliquias sedulo conquirunt, & contra concilium ita cœperunt vociferari: quid est, quam obrem sanctis viris denuntietur anathema: sic vt imperator rem grauius & acerbè ferens, iusserit satellitibus, vt eos inde procul expellerent. Quomodo igitur Nestorius, qui hinc demigrauerat, sit accersitus, non possum equidem dicere.

*Templi sanctæ martyris Euphemie apud urbem
Chalcedonensem descriptio, & auditorum in
illo miraculorum commemoratio.*

Capitulum III.

ITaque congregantur episcopi in sacro Euphemie martyris tēplo, quod Chalcedoni urbi Bithyniæ locatū est. Abest autem hoc templum à Bosphoro amplius duobus stadijs, situm in loco quodam amœno, qui adeo paulatim erigitur in accliuatē, vt ascensus perfaciles minimeque molestos præbeat ad templum martyris accedentibus: qui quidem videntur sibi de repente in sublime sublati, atque adeo intra ipsum templi Sanctuarium versari. Vnde tanquam specula oculos deiicientes, campos omnes
 substra-

substratos cernunt, eosque in æquabilem & patentem planitiem porrectos, herba quoque virentes, onustos segetibus, arboribus cuiusque generis pulchrè ad aspectum vestitos: quin etiam montes asperos, scitè erectos, in altitudine leuatos incuruatosque: diuersos præterea pelagos, partim præ tranquillitate purpureum colorem præ se ferentes, & placidè ac quietè cum ipsis quasi ludètes litoribus, quibus adiacentes agri à tempestatibus vacui sunt: partim turbulentos, & vastis furentes fluctibus: vnde vnibilici, alga, & minutiores pisciculi ex testaceorum genere reciproco vndarum impetu excutiuntur. Porro autè istud templum è regione Constantinopolis positum est, adeo vt talis & tam egregiæ vrbs aspectus, illi permultum splendoris afferat. hoc templum cõstat ex tribus amplissimis ædificijs: vnum libero cælo patens, atrio oblongo, & columnis vndique concinnè exornatum. Alterum deinceps, latitudine longitudineque paruis iudem columnis priori simile, fastigio supposito solummodo dissimile. Ad cuius latus versus Aquilonem, est alterum ædificium ductum in gyrum, quod spectat ad solis ortum, ipsumque ad formam testudinis columnis valde artificiose fabricatis, ex eadem confectis materia, magnitudine eadem, intus in orbem tornatum: subter his tabulatum est sublime, eodem opertum tecto: in quo liberum est cuique preces martyri fundere, & sacris interesse mysterijs. Intra testudinem ad orientem, est sacrarium decorè constructum: in quo sanctissimæ martyris reliquæ in capsula bene longa (quam propterea quidam μακρόν, id est longam, veluti proprio nomine appellant) eaque ex argento valde scienter confecta condita, reponuntur. Miracula autè, quæ ab ista sanctissima martyre quibusdam temporibus eduntur, nemini Christiano obscura sunt. Nam sæpenumero aut episcopis, qui ordine illius vrbs ecclesiam rexerant, secundum quietem ipsa martyr apparens, aut alijs quibusdam ob piam vitæ rationem nobilitatis accedens, iubet, vt in ipso templo festum delitijs & opiparis epulis celebrent. Quod vbi significatum est imperatoribus, pontifici, & toti ciuitati, ad templum accedunt omnes, tam qui reip. clauum tenent, quam sacerdotes, magistratus, & reliqua vniuersa multitudo, quò efficiantur mysteriorum participes.

ripes. Deinde omnibus his inspectantibus, episcopus Constantino-
 politis, una cum suis sacerdotibus, sacrarium in quo sanctis-
 simum martyris corpus, de quo supra dixi, reconditum est,
 ingreditur. Est in ipsa capsula ad laevam velut transfenna exi-
 gua parvis ianuis obfirmata: per quam ferrum oblongum spon-
 gia circumligatum ad reliquias usque immittunt: quod qui-
 dem ubi circumtorserint, spongiam plenam sanguine retra-
 hunt, plenamque cruentis guttis concretis plurimis. Quod ubi
 videt populus, statim deum propterea veneratur, gloria ac
 laudibus effert. Tanta est autem guttarum concretarum inde
 extractarum copia, ut pii imperatoribus, sacerdotibus om-
 nibus ibi congregatis, & universae populi frequentiae abunde
 satis suppetant, tum ad participandum, tum ad mittendum
 ceteris fidelibus, per orbem universum illarum rerum cupien-
 tibus fieri participes. Ac guttae illae concretae manent inte-
 grae perpetuo, & sacer sanguis nequaquam in aliam formam
 commutatur. Quae res fiunt non certo aliquo & definito
 tempore, sed pro ut episcopi vita, & morum illius gravitas
 fert. Aiunt namque cum aliquis spectatus vir, & virtutibus
 eximius eam gubernet ecclesiam, hoc miraculum sapientissime fieri
 solere: cum autem improbus illo munere fungatur, raro admo-
 dum signa illa divina eduntur. Aliud praeterea commemorabo,
 cui neque tempus, neque occasio ulla est impedimento, neque
 discrimen inter fideles & infideles ab eo confertur, sed om-
 nibus ex aequo ostendit sese. Cum aliquis eo loci accedat,
 ubi sacra capsula, in qua sunt conditae sanctissimae illae reliquiae,
 reponitur, tam fragante completur odore, ut alij omnes odores,
 quibus homines uti solent, ab eo longe superentur. Nam
 neque odori florum, qui ex pratis colliguntur, similis est, neque
 illi, qui ex rebus suavissime olentibus capitur, neque talis,
 qualis conficitur ab unguentario, sed peregrinus est, & praeter
 ceteris eximius, ex ipsius martyris reliquijs vim & virtutem
 illam ei tribuentibus efflatus.

*De ijs quae in concilio tractata statutaque sunt, &
 quod Dioscoro Alexandrino episcopo ab episco-
 pali sede summo, Theodoritus & Ibas &
 aliquot alij reuocati fuerunt.*

Capitulum IIII.

Hoc est